

DE DVO DECIM DOMIBVS COELI,
De decima domo.



ECIMA domus significat regnum, honores, dignitates, exaltationes, magistratus, dominia, magisteria, & matrem &c.

Primus dominus triplicitatis decimæ domus, si fuerit fortunatus & in bono statu, in ascidente, uel decima, natus habebit dominium, uel dignitatem à Rege, cum prosperitate. Si fuerit in malo statu, habebit impedimenta ex parte Regis, & erit contemptus.

Si fuerit secundus dominus triplicitatis in hujusmodi bono statu, natus erit fœlix in operibus suis. Si in contrario statu, dic contrarium.

Tertius dominus triplicitatis huius, si fœlix, & fortunatus fuerit, significat quod natus erit nobilis, altus, laudatus &c. Si in diuerso statu fuerit, contrarium significat.

Pars regni in aliqua domorum Martis, si aspexerit eam Mars de bono, & fortis loco, & ambo in locis altis Regum extiterint, & aspexerit eos Sol, & pars fortuna fuerit in bono loco, fortunis eam aspicientibus, de bonis, & fortibus locis, natus erit dominus militum, & dux exercituum, & ibit cum militibus, & exercitibus præliatum cum inimicis regni, securus erit, ac boni consilij, in operibus suis uictoriosus, & fidelis in suis prælijs, ac in eis sapiens, & mansuetus. Si ibi aspexerint infortunæ, erit inferioris gradus. Et si omnes hi significatores fuerint depresso, erit miles gregarius unius clypei dominus. Si fuerit haec pars cum domino decimæ domus, uel unus eorum in ascidente, natus habebit dominium, & posse in pueritia sua. Si fuerit in Medio coeli, habebit illud in ætate media. Si fuerit in septima, in senio, similiter etiam in quarta domo.

Si fuerint pars operis & magisterij, & eius dominus fortunati, & in bono esse natus insinuabit facile se magisterij, & operibus bonis. Et si fuerit in Geminisque Virgine, uel aliquo signorum significantium mores, & magisteria, natus erit laudatus in operibus, & factis manuum suarum, & si cum hoc habuerit aliquam commixtionem cum significatoribus domus substantiae, lucrabitur inde magnam substantiam, si non, nihil lucrabitur inde. Quando pars haec fuerit in una quarta figura, & eius dominus in altera, habebit magisterium suum in itineribus extra locum suum, ratione itineris. Et si dominus partis habuerit aliquam dignitatem in signo in quo fuerit, natus habitabit in illo loco, extra terram suam, in quo fuerit, & habebit uicinitatem ibidem.

Pars fœlicitatis, siue Iouis, significat euasionem, uictoram, & defensionem, iustitiam, & patientiam, legem, & rectitudinem, ac prudentiam in factis eius, & iurisdictionem inter gentem, ac bonos fines in rebus, domos orationis, & res iustas sine deceptione.

Pars Matris significat esse matris, sicut decima domus huius partis, iudicium est idem cum parte patris &c.

De undecima domo.



NDECIMA domus, significat amicos extra sanguinem, bonos fautores, fiduciam, & spem, & est domus fortunæ.

Si primus dominus triplicitatis huius undecimæ domus fortunatus, & receptus fuerit, natus habebit multos amicos cum magno emolumento. Si in contrario, erit solitarius, & ingratus.

Si fuerit secundus dominus triplicitatis huius fortunatus, natus erit diues, & honoratus. Si in diuerso statu, significat contrarium huius.

Tertius dominus triplicitatis huius fœlix, natus habebit filios remansuros post

cum